

48 534 533 530 531

535-10A

53

Band II



L. 15 459. B

Archiv 104

No 545-704.

PRÆNOBILISSIMO, AMPLISSIMO, EX-  
CELLENTISSIMO ATQVE  
CONSULTISSIMO,

DOMINO  
CASPARO  
CHRISTIANO  
HVBSCHIO,

HÆREDITARIO IN NIEDER-KEINA,  
J. V. L. ET CONSVLI REIPV-  
BLICÆ PATRIÆ BVDIS-  
SINENSIS

MERITISSIMO,  
PATRONO AC COMPATRISVO  
COLENDISSIMO,

ÆDES NOVISSIME EXSTRVCTAS;  
D. XII. MAÏI MDCCXII. OPTIMIS AV-  
SPICIIS OCCVPANTI,

GRATVLAVNDVS FAVSTISSIMA QVÆVIS PRECATVR ET OMINATVR  
D. GOTTLIEB BVDAËVS,

ARCHIATER DVCAL. SAXON. ET PHYSIC. PROVINCIAL. V  
ORDINAR. ACADEM. NATUR. CURIOSOR.  
COLLEGA D. MENODOTUS.

BVDISSAE, LITERIS RICHTERIANIS.



Xue lugubres tandem BVDSETIA vestes,  
Tollens triste caput, moestis emerge favillis:  
Sat gemitûs planctûsque tui pervenit ad astra,  
Nec frustra. Movére DEum pia vota precesq;  
Et lacrumae querulae. Tibi post trieterida moestam  
Secula laeta parant concordia stamina fati,  
Ecce renascentem platearum laeta decorem!  
Ædes ecce novae pulcro molimine surgunt!  
Quid cineres nocuere Tibi? Tu pulcrior exis.  
Sic Roma in propriis vitam reperisse ruinis  
Dicitur, & flammæ Capitolia celsa triumphant  
Barbaricas. Sic innumeras, quas Martius ensis,  
Vulcanique furor diris hausere rapinis,  
Cernimus ex proprio quasi surrexisse sepulcro  
Egregias urbes, mapalia rustica quondam.  
Ipse etiam tandem, pulcerrima fabrica, mundus  
Pulcrior igne suo nascetur, quum novus orbis  
Coelesti veteres vincet splendore ruinas,  
Volve vetustarum, BVDISSA, volumina rerum,  
Et mirare tuam per tot discrimina sortem.  
Funera tot, tot saepe lues, tot bella, tot ignes  
Quid potuere? rogo mage splendida surgis ab isto.

Qua.

Qualiter Eous reparatur in igne volucris,  
Ætatesque novas incendia propria reddunt:  
Sic tu clara tuo fulges ex igne BVDISSA,  
Circum tolle oculos, omnes lustraque plateas:  
Nuper campus erant, & Trojae tristis imago,  
Undique fumosis squallebant cuncta ruinis,  
Ipse Pater Superum, defixus lumina terrae,  
Indoluit, caram quod sic vastaverit urbem.  
Non tulit aspectus tristes; Reparabitur, inquit.  
Nec mora, prudenti moderamine, moesta BVDISSA,  
Consilioque pio Patrum, curaque fideli,  
Surgere visa solo, pulcramque resumere formam.  
Urbs nova mox facta est, vix pristina damna videntur:  
Quis DEUS auspicio fausto tibi rite vocatus  
Adfuit? Haud equidem, credas, sine numine divum,  
Tam cito prisca salus tibi reddita cara BVDISSA.  
HVBSCHIADAE nonne hanc debere, fatere, salutem?  
Hic tibi Consul erat non longè à funere moesto,  
Hujus consilium, prudentia, pervigil atque  
Cura, & amor patrius stravit fundamina prima,  
Nec nequii placuisse DEO tam sedula cura  
Et pietas, urbis carae custodia tanta,  
Haud frustra nostram sic restauraverit urbem  
Coelipotens: maneant ipsum sua praemia, dixit,  
Hic ubi reliquias cinerum est jam cernere tristes,  
HVBSCHIADAE faciam mox nobile surgere culmen,  
Illud perpetuo mea dextera proteget, illud  
Nec fera tempestas feriet, nec flammeus imber,  
A cunctis tutum dum Numina nostra periculis  
Illud servabunt, Sint hi pietatis honores.

En

En sequitur promissa fides: Stat nobile tectum,  
HVBSCHIVS intravit. Resonant laquearia plausu,  
Laetentur veterem tandem rediisse Colonus,  
Singula nonne vides hilari ut conclavia risu  
Laeta sinum Domino nunc exultantia pandunt?  
Diffiliunt postes, referatur janua plaudens,  
Oreque nunc patulo gressus admittit heriles,  
En quàm felici pede nunc nova tecta subintrat.  
HVBSCHIVS, offenso sonitant nec limine signa,  
Forfitan haec nobis res spondet laetius omen?  
Natos Natorum, ut jubeant, ferosque nepotes  
Tàm faustas habitare domus, caelestia fata,  
Ipsa dies praesaga boni haud caret omine dextro,  
Omina nam Fasti fortunatissima spondent.  
Vives *pancraticè*, servabit culmina Numen,  
Angelici cinget caetus robusta Corona.  
Da pia BVDISSINA preces, fer thura, sacrumque  
Instaura, adque tuas fac victima concidat aras,  
Pro vitâ atque salute tui jam Consulis ora,  
Postulat hoc pietas. Nam stant tua tecta per illum.  
Ergò fatigabis prece clemens supplice caelum,  
Ut fausteq; diuque novas colat HVBSCHIVS Aedes.  
HVBSCHIVS acceptae Coelo Pater optimus urbis,  
Coelica nec nisi post complura decennia tandem  
Culmina quò repetat, superasque exscendat in aedes.  
Quo viyo vigeant Urbs, Curia, Templâ, Scholæque.





Oberlausitzische Bibl. Görlitz



1066905 1